

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Illustris Gymnasii Carolo-Hesychiani R. Et. Pp. Philippus  
Jacobus Burcklinus, L. S.**

**Bürcklin, Philipp Jakob**

**[Karlsruhe], 1726**

[urn:nbn:de:bsz:31-4765](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-4765)



99

# ILLUSTRIS GYMNASII CAROLO - HESYCHIANI R. ET PP. PHILIPPUS JACOBUS BURCKLINUS, L. S.



Non unius sunt generis illa pietatis officia, quæ cives ac subditi suis tenentur exhibere Principibus. Unum debetur supereminenti eorum, qua divinitus condecorati sunt, Majestati, quaque ab omni reliqua mortalium turba ac multitudine distinguuntur maxime. Alterum Episcopalem respicit dignitatem, quæ in illis principibus apparet, quotquot Augustanam Confessionem sequuntur. Aliud porro est officii genus, quod cum Liberis commune habent subditi; cujusque virtute, quem parentibus illi attribuere debent, ad eundem filialem honorem & cultum Principibus, ceu Patriæ Patribus præstandum hi ipsi obligantur. Pro hoc, quod modo notavimus discrimine, officia principibus debita trifariam dispartiri posse palam est; prout illos nunc, ut Patres, Patriæ saluti providentes, nunc, ut Episcopos, sacris dirigendis præfectos; nunc, ut Magistratum, imperii clavum tenentem considerare velis, unoque præ alio officiorum genere peculiari ratione eosdem venerari. Sunt tamen nihilominus quædam tempora statuta, certique, quos anniversarios appellamus, dies decreti, quibus officia illa omnia simul confluere videas, ita, ut ab invicem separari se neutiquam patiantur. Eminent inter illos dies Natalis, quem constat festum fuisse habitum, sacrumque omnibus gentibus, si Judæos exceperis. Hos enim Johannes Fronto Diss. de Diebus Festivis, probat, Natalitia inter se nunquam celebrasse; utut Bollandus in Actis Sanctorum aliam sententiam adoptaverit. Neque tamen unum eundemque omnes diem appellitarunt Natalem. Quippe variis scriptorum testimoniis constat: Principes Romanos diem illum, quo ad honorum fastigia adscendissent, quotannis celebrare solitos fuisse. De istius moris origine eleganter, ut ubique, diseruit Isaacus Vossius observat. in Catullum: Postquam enim adnotasset: Natos vocatos à Romanis, qui clari ac nobiles essent, & contra, qui obscuro, illos ne natos quidem habitos fuisse; addit: *Est autem, inquit, inprimis observandum, ex hoc loquendi genere provenisse, ut, si qui ad honores olim promoverentur, id diem, quo melior ipsis affuisset fortuna, pro Natali coluerint, ac proinde Regum & Imperatorum Natales dies habitos potius fuisse, quo imperium essent consecuti, quam, quo lucis facti essent participes.* Hanc consuetudinem imitati postea sunt Christianorum cætuum Episcopi. Cum enim ab illo inprimis tempore, quo reddita ab Constantino pax Ecclesiæ erat, horum auctoritas non minor apud populum, quam Principis, esse cepisset; Imperatorum etiam mores hi affectare, illumque præ reliquis diem albo signare lapillo quotannis ceperunt, quo sanctas suas sedes occupavissent. Meminit hujus instituti, ut alios omittam, Ambrosius, qui in Epistola ad Felicem Comensem Episcopum: *Celebrem, inquit, utriusque nostrum annuisti diem affore, quo suscepisti gubernacula summi sacerdotii: prosequemur Natalem hunc tuum nostris orationibus, & tu nostri in tuis votis ne obliviscere.* Quod si cui volupe sit nosse, quinam in istiusmodi festivitibus ritus usitati fuerint; prolixè satis descriptos illos deprehendet in Stephani Baluzii Lib. III. Miscell. ubi docetur: *in Natalitiis Episcoporum constitutum esse, ut Presbyteri tam urbani, quam suburbanii solenniter convenirent, & ipsa officia solenniter cum ipsis Canonicis devotissime peragerent, & post vespertas peractas in refectorio una cum ipsis Ecclesiæ Canonicis ter biberent.* Temperanter satis, & prorsus ad legem modestiæ! Sane idem modus si ubique obtinisset, Ammianus Marcellinus, scriptor Gentilis, qui eo ipso tempore vivebat, quo mos iste invaluerat, non habuisset, cur Romanis Præfulibus nimium fastum objectaret, diceretque, *ditari eos oblationibus matronarum, procedereque vehiculis insidentes, circumspicere vestitos, epulas curantes profusas, ut eorum convivia regales superarent mensas.* Cur autem Imperatores Gentiles, & eorum Καροζιοι Pontifices Romani, cæterique Episcopi eum præcipue diem, quo summis muneribus admoti fuerant, Natalem suum dixerint, alterius vero, quo primum lucis usum nacti sunt, parum meminerint; ejus rei rationem non adeo difficile reperias. De Principibus jam nihil dicam: Episcopus autem abunde constat, magnam illorum partem haud adeo insignibus ortos fuisse natalibus. Itaque, eum nulla Parentum aut majorum laude commendari se posse viderent; Primæ nativitatæ memoriæ parum curabant, tantum abest, ut, Illustri instituto apparatu, & qui in oculos hominum incurreret, curiosis occasionem dare voluerint inquirendi in suorum natalium obscuritatem. Nempe non ea omnibus sanctis istis Patribus erat mens, quæ Agathocli, quem, Aufonio referente,

Fama est scilicet cœnasse Agathoclea Regem,  
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto;  
Fercula gemmatis quum poneret horrida vasis,  
Et misceret opes pauperumque simul.  
Quærenti causam, respondit: Rex ego qui sum  
Sicanæ, figulo sum genitore fatus.

Nihil ista cautione opus est hæc quidem nostra ætate. Principes, quos Germania veneratur, & qui inter illos haut una ratione eminent, *Serenissimus noster CAROLUS* ea generis majestate sunt inclyti, ut neque sit, cur novæ sibi conciliandæ gloriæ anxie studeant, neque ad antiquitatem demonstrandam ullum alium, præter primum Vitæ diem, notare opus habeant. Sic primus ille, qui annis abhinc quadraginta & septem CAROLO, *Principi ac Domino nostro Clementissimo*, auspiciatissimo sydere illuxerat dies, primus etiam fuit honorum. Neque Marchia nostra tam primum CAROLUM natum inaudiverat, quin eundem simul tanquam Principem suum ac Dominum adoraverit, tanquam Episcopum salutaverit, tanquam Patrem Patriæ sit exosculata. Merito itaque faustissimi illius diei memoriæ solenni ritu quotannis pie recolimus, sacram eandem ac festam habemus, immortalitatisque donamus. Ac proinde, quemadmodum Imperatores Rom. ab una parte, ab altera sacrorum Antistites à suis civibus in Natalitiis olim exceptos vidimus, atque hodiernum inter omnes moratiorum populos in usu positum esse deprehendimus, ut in parentum Natali latentur filii ac gaudeant; ita & nos, in exoptatissimo hoc *Serenissimi nostri CAROLI* natali omnis generis pietatis officia conjungere, summamque Venerationem, atque Internum, quem Principi nostro debemus, cultum externis quoque signis declarare omnino decet. Et exsultant jam cives; lætantur subditi; Omnia fausta apprecantur divinorum mysteriorum præcones; Confluunt gratulandi causa Magnates undique; In aula Principis perstrepat publici gaudii festivitas; Incitat ibi alius alium, ne quisquam segnius gaudere videatur; Contendunt omnes ac certant invicem, ut, qui Principem amet impensius, hoc & lætetur effusius. Ego vero, dum festo plausu bonisque ominibus late resonant omnia, pro muneris mei ratione non patiar Gymnasii nostri partes hæc quidem desiderari; Non patiar, Musas nostras morari in novissimis. Si quæ est enim in omnibus hisce regionibus societas; si quis est status, cujus maxime intersit, Principem videre salvum; Hæc sane domus Illustris est, hæc Musarum patriarum sedes est, quæ inprimis habet, cur in Principis, Statoris sui atque Nutritoris sui munificentissimi salute lætetur, ovet, triumphet. Atque tanti gaudii index, tantorum votorum interpretes ego jam esse volui, debui; eumque in finem solenni oratione, die 31. Jan. qui est dies Jovis, hora 2da pomerid. in Gymnasii nostri auditorio solito, habenda, explicare institui, quo modo, in quantum & quatenus concessit olim *Serenissimo nostro Principi ac Domino, & in exoptatissimo hoc ejus Natali divinitus repetitæ reditæque Majestatis causa possit appellari, & quidem immediata DEUS?* Ad quam benevole audiendam Mæcenates, Patronos, Fautores humanissime, & pro singulorum dignitate decentissime invito.